



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Collusione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**



& inconsultus calor calumniæ vitio caret. *ut not. in c. s. quem pœnituerit. 2. qu. 3. & c. si quis iratus. 2. qu. 3.*

Unde reo absoluto, Judex de accusatoris consilio, quâ mente ductus ad accusandum processit, quærere incipit.

Qui, si eum calumniosè crimen intentasse reperit, *d. c. si quem. §. sed non utique.* similitudine supplicii, quod probato crimine subiisset reus, cum existimationis dispendio, eum plectit. *c. 1. 2. qu. 3. c. quisquis. 2. qu. 8. c. calumniator. 2. qu. 3.*

Subdiaconus tamen calumniosè Diaconum accusans, officio Subdiaconatus privatur, & verberibus publicè castigatus in exilium mittitur. *c. 1. hic.*

Denunciator in probatione criminis deficiens, ab officio & beneficio suspenditur, donec se non calumniandi animo ad denunciandum processisse ostenderit. *c. 2. eod. e. quia juxta. 5. qu. 6.*

### De Collusione.

#### TIT. XXXI.

**C**ollusio nihil aliud est, quàm occulta conventio eorum, qui inter se judicio contendere simulant. *c. s. quem. 2. qu. 3.*

Quare, qui partem adversam adjuvant, proditis causis suis, prævaricari dicuntur; *d. c. si quem.* si quidem sint causæ criminales: *c. si quis. §. is autem. 2. qu. 3.* si spirituales, colludere. *c. audivimus. 3. hic.*

In criminalibus vel matrimonialibus, *c. ult. de transact.* causis, quia eæ, hoc jure, omnes quasi publicæ censentur, per transactionem, gratiam, collusionem, à lite recedere non licet; *c. crimina. & c. seq. hic.* si fiat, causæ iterum in judicium deducuntur, possuntque Rei, abolitione non obstante, accusari, & in eos inquiri. *c. ult. hic.*

Potest tamen judex de crimine, quod in judicium deductum, dispensare; auctoritatem, si accusator & accu-



status inter se gratiam facere velint, præstare. *arg. c. si pri-  
mates. 5. qu. 2. c. 1. & c. studendum. dist. 15.*

In causis spiritualibus, ex causa licet per gratiam à lite  
recedere; non sine causa, *c. quapropter. 2. qu. 7. c. fin. de  
de calumn. nec per transactionem. c. 3. de transact. c. ult.  
de rer. permut. si factum; Judex rursus ex officio inquit,  
c. 1. 2. 3. hic. & si causa fuit beneficalis, eum qui collu-  
sit, beneficio privat. d. c. audivimus. 3.*

### De Clerico venatore.

#### T I T. XXXII.

**I**N Clericis delictum est *Venatio*; Quæ eis interdicitur:  
quia clamoris plena est, & immoderata; quia in ea ple-  
rumque rixæ, injuriæ, pacis violationes contingunt;  
quia eâ Clerici à Divinis abstrahuntur; *c. 1. ne Cler. vel  
Monach. quia Clerici animalia venationi inservientia, ut  
canes, accipitres, alere prohibentur. Gloss. in c. Esau.  
dist. 86.*

Est *Venatio*, secundum Canonicos, *Gloss. in c. qui vena-  
toribus. 8. dist. 86.* alia *Oppressiva*; quæ homines perdit; *de  
qua in c. fin. in fin. dist. 6.* alia *Arenaria*; quæ fit, receptâ  
mercede, in arena cum feris bestiis; *de qua in d. c. qui ve-  
natoribus.* alia *Saltuosa*; quæ in silvis & saltibus, feras per-  
sequendo & occidendo, exercetur.

*Oppressiva* venatio omnibus prohibita est: ob præceptum  
Divinum, *Non occides.* *Ioann. de Turrecrem. in d. c. vena-  
tionibus.* ut & *Arenaria*; (Quia ex ea hominum interi-  
tus sequi solet:) unde & mortale est peccatum ita decer-  
tare. Nisi causâ necessitatis, ad mortem evitandam fiat.  
*Abb. & ceteri. in c. 1. hic. fac. d. c. qui venatoribus.*  
*ubi Gloss. c. videns. dist. 86.* *Saltuosa*, sui naturâ & re-  
gulariter permessa est. *Gloss. in d. c. quis venatoribus.*

Verita aliquando est *ex tempore*, aliquando *ex persona  
Venatoris.* *Gloss. d. c. qui venatoribus.*

*Ex tempore*; in *Quadragesima*, & diebus jejuniorum;